STUDIO ADDICTUS
Province of Holy Cross

SYNOPSIS

RERUM MORALIUM ET IURIS PONTIFICII

ALPHABETICO ORDINE DIGESTA

ET NOVISSIMIS SS. RR. CONGREGATIONUM DECRETIS AUCTA

IN SUBSIDIUM PRAESERTIM SACERDOTUM

AUCTORE

BENEDICTO OJETTI S. I.

« Nulli sacerdotum liceat
canones ignorare »
c. 4. dis.

WITHDRAWN

VOLUMEN IV

FORMULAE - INDICES

EDITIO TERTIA EMENDATA ET AUCTA

STUDIO ADDICTUS
Province of Holy Cross

ROMAE
EX OFFICINA POLYGRAPHICA EDITRICE
Piazza della Pigna N. 53
—
1914

"PRINTED IN ITALY"

POTEST IMPRIMI

Romae, die 15 augusti anni 1909.

Aloisius Caterini S. I.
Praep. Prov. Rom.

IMPRIMATUR

Romae, die 14 iulii 1912.

Fr. Albertus Lepidi Ord. Praed., S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

Romae, die 14 iulii 1912.

Franciscus Faberi Vicar. Urbis Assessor.

230
OJF

FORMULAE USUI MAGIS NECESSARIAE

FORMULAE
AD REM MATRIMONIALEM SPECTANTES

4179 **Pro sponsalibus contrahendis.**

I. Testamur nos infrascripti N. et N. quod coram nobis N.... filius N.... (*vel* quondam N.)... natus... domicilium habens...; et N.... filia N. (*vel* quondam N.).... nata.... domicilium habens...; expresse ad invicem promissionem ineundi inter se matrimonium iuxta S. Romanae Ecclesiae ritum, sibi dederunt et datam acceptarunt.

Lectum et approbatum.

Testes N. et N.
Sponsus.
Sponsa.

Romae (*vel alibi*) die... mensis... anni...

Si altera vel utraque pars scribere nescit, haec addentur:

In quorum fidem, praesentes litterae scriptae sunt, quae auditae atque probatae ab utroque contrahente fuerunt. Cum vero N. declarasset (*vel* ambo declarassent) se litteras ignorare (*vel* quavis de causa impeditum - am, - os) esse, ideoque non posse subscribere, N. filius... in testem assumptus est qui pro ipso (- a, - is) nomen suum apponit.

Parochus.
Testis N.
vel Testes N. et N. et N.

Romae (*vel alibi*) die... mensis... anni...

(ex P. Vermeersch).

II. Die... mensis... anni... in paroecia N., dioecesis N., coram N. parocho (*vel:* coram N. et N. testibus), Titius, natus in loco... die... mensis... anni... ex N. et N.[1] cum Bertha nata in loco.... die.... mensis .... anni.... ex N. et N., hac scriptura sponsalia contrahunt, (*vel:* alter alteri matrimonium promittunt).

(*Subscribunt sponsi et parochus vel Ordinarius loci, aut duo testes*).

N. B. 1) Si contrahantur sub certo die, modo, conditione, haec facile addentur, his vel similibus verbis:

[1] Si filii illegitimi sola mater sit cognita, haec sola indicabitur, vel etiam omittetur filiatio, ut famae parcatur.

STUDIO ADDICTUS
Province of Holy Cross

tali die (*vel*) non tamen ante (*vel*) ea lege ut...

2) Si alteruter vel uterque sponsorum subscribere nequiverint, addatur huiusmodi clausula:

Quia Titius (*vel*, Bertha *vel* ambo sponsi) nomen scribere nequit (*vel* nequeunt) alter cum parocho subscribit testis, (*vel* tres subscribunt testes).

III. Testor ego infra scriptus N. parochus (*vel* Ordinarius)... quod coram me astiterunt N..... filius N. (*vel* quondam N... natus... domicilium habens...; et N. filia (*vel* quondam N.) nata... domicilium habens...; qui ambo expresse ad invicem promissionem ineundi inter se matrimonium iuxta S. Romanae Ecclesiae ritum, fecerunt et probaverunt.

In quorum fidem, postquam utraque pars audiverit et approbaverit praesentem actum, eidem nomen suum apposuit.

Die...

Parochus (*vel* Ordinarius).

Sponsus.

Sponsa.

IV. *Quod si brevioribus formulis uti placet, sequentes adhiberi poterunt: (ex Wouters C. ss. R. - Comm. in decr. « Ne temere »).*

a) *si uterque contrahens scribere noverit:*

Hisce litteris sponsi infra scripti sponsalia contrahunt.

Die...

Sponsus N.

Sponsa N.

Parochus vel Testes N., N.

b) *si alteruter vel neuter noverit scribere:*

Hisce litteris Petrus N. et Antonia N. sponsalia contrahunt. Antonia N. (*vel* Petrus N. *vel* utraque pars) scribere nequit: hinc unus testis additus est.

Die...

Parochus N.

Testis N.

vel Testes N. et N. et N.

Testimonialium status liberi pro absente a dioecesi. (Ex Monacelli *Formul. leg. pract. fori eccl. tit. 8. form. 3*). 4180

N. Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopus N.

Universis et singulis, ad quos hae nostrae Litterae pervenerint, fidem facimus et attestamur N... et N... in hac nostra Dioecesi ab anno... ad annum... commoratum fuisse, per dictum temporis spatium numquam uxorem duxisse (*vel* alicui nupsisse), sed permansisse et permanere in statu libero ad contrahendum matrimonium, prout ex depositionibus testium iuratorum coram Nobis (*vel* Vicario nostro generali) ad praescriptam formam Instructionis Sacrae Congregationis S. Officii de Urbe examinatorum plene constat.

In quorum etc. Datum etc.

N. Episcopus N.

(*sive* Vicarius generalis dioec. N.)

N. Cancellarius episcopalis.

4181 **Ad petendam dispensationem a publicationibus.** (Ex Gasparri *de Matr. Allegat. IV. form. 1*).

Illme ac Rme Dne,

Ioannes N. et Marianna N., parochiani mei, matrimonium in facie Ecclesiae inire quantocius cupiunt; et ideo petunt ab Excellentia vestra dispensationem ab una publicatione (*vel* a duabus *aut* a tribus publicationibus).

Causae sunt...

Die... mensis... anni...

N. Parochus N.

4182 **Ad petendam licentiam celebrandi matrimonium vagorum.** (Ex eodem Gasparri *loc. cit. form. 2*).

Illme et Rme Dne,

Marianna M., parochiana mea, matrimonium inire cupit cum Ioanne N., nato in dioecesi N., qui, quum nullibi habeat domicilium vel quasi domicilium, vagus habendus est. Parentes eius consensum dederunt; et, diligenti facta inquisitione, nullum canonicum impedimentum inveni. Quare Excellentiae Vestrae supplico, ut quid faciendum sit, significare mihi dignetur.

Die... mensis... anni...

N. Parochus N.

4183 **Ad petendam dispensationem in impedimento voti.** (Ex eodem Gasparri *loc. cit., form. 3*).

Illme et Rme Dne,

Marianna M. nostrae dioecesis olim votum... emisit, a quo, modo nuptias contrahere volens, dispensationem ab Excellentia Vestra petit (*vel si sit votum reservatum:* ab Excellentia Vestra humiliter petit, ut dispensationem a S. Sede obtinere dignetur).

Causae sunt...

Die etc.

N. Parochus N.

4184 **Ad petendam dispensationem in impedimento voti exsurgente ex professione votorum simplicium emissa in aliqua Congregatione religiosa.** (Ex Noldin *Th. mor. III. pag. 739*).

Illme ac Rme Dne,

Maria L..... aetatis 25 annorum, hodie parochiana mea, humiliter exponit, quod die.... anni.... tria vota simplicia emiserit perpetua in Congregatione religiosa erecta sub titulo S.... Iamvero de consensu expresso superiorissae, et, ut testatur oratrix, de consilio ipsius confessarii egressa est conventum duobus abhinc mensibus, et hodie vellet nuptias inire cum quodam viro honesto et pio.

Quare humillime supplicat Illmae Dominationi Vestrae, ut super hisce votis Sedis Apostolicae dispensatio procuretur (*vel si Episcopus gaudeat facultate dispensandi:* benigne dispenset), quatenus matrimonium licite contrahere et consummare valeat.

Causae sunt: 1° moralis impossibilitas vitam religiosam instaurandi; 2° periculum haud leve incontinentiae;

3° bonum tam spirituale, quam temporale viri, quem ducere intendit, etc.

N. Parochus N.

4185 **Ad petendam dispensationem in impedimento mixtae religionis.**

Illme et Rme Dne,

Catharina N., parochiana mea, matrimonium inire cupiens cum Sergio N., sectae lutheranae addicto et in ea saltem hucusque persistente, humillime petit ab Excellentia Vestra, ut dispensationem in impedimento mixtae religionis concedere (*vel:* a S. Sede procurare) dignetur.

Pars acatholica coram me, ut ex declaratione huic petitioni addita patet, sub fide iuramenti, promisit omnes utriusque sexus infantes ex illo matrimonio nascituros, in fide catholica baptizandos et educandos esse, iisque aeque ac coniugi prorsus liberum fore catholicae religionis exercitium.

Praeterea pars catholica spopondit, se pro viribus curaturam viri conversionem.

Quantum ex adiunctis mihi iudicare licet, promissiones huiusmodi sincerae sunt, timendumque minime est, ne in futuro non adimpleantur. Nam...

Causae pro dispensatione concedenda sunt...

Pars catholica taxam ordinariam solvere potest (*vel* apud me deposuit).

Die etc.

N. Parochus N.

Ad petendam dispensationem in impedimento publico criminis (neutro machinante) et affinitatis ex copula illicita. (Ex Noldin *Th. mor. III. pag. 741*). 4186

Illme ac Rme Dne,

Petrus A. parochiae X. dioecesis Z. et Lucia B. parochiana mea matrimonium inire cupiunt. Obstat vero duplex impedimentum dirimens: 1° affinitatis primi gradus lineae collateralis aequalis ex copula illicita, quam Petrus olim habuit cum sorore Luciae; quod impedimentum est notum in tota parochia mea; 2° criminis ortum ex copula carnali inter ipsos oratores habita, stante priore matrimonio Petri, et accedente promissione futuri matrimonii inter complices data et acceptata, neutro tamen machinante; quod impedimentum est etiam notum in parochia.

Quare humillime supplicant Illmae Dominationi Vestrae, ut super istis impedimentis Sedis Apostolicae dispensatio opportune obtineatur (*vel* ut tamquam Delegatus Sedis Apostolicae dispensationem concedere dignetur).

Testor oratores orthodoxae fidei esse, sed adeo pauperes, ut nullam taxam solvere valeant. Pro expensis tamen Romae faciendis apud me deposuerunt fr. 10. (*vel* pro eleemosyna dederunt...).

4187 **Ad petendam dispensationem a S. Poenitentiaria super impedimentum criminis.** (Ex Génicot *Th. mor. vol. II. n. 526. 1*).

Eminentissime Princeps,

Titius et Caia matrimonium inire cupiunt; sed obstat impedimentum criminis ortum ex eo, quod Titius, dum vivebat adhuc eius uxor Sempronia, copulam perfectam cum Caia habuit, et mortem Semproniae, effectu secuto, machinatus est. Impedimentum est omnino occultum, neque ullatenus timendum videtur, ne publici iuris fiat. Adsunt gravissimae causae ad dispensationem efflagitandam, videlicet infamia vitanda et proles a Caia iam concepta. Quare Eminentiae Vestrae humillime supplicant, ut dispensationem super impedimento praedicto, quam primum fieri poterit, auctoritate Apostolica benigne concedere dignetur.

Eminentiae Vestrae manus reverenter deosculans, summa, qua par est, devotione permaneo

Eminentiae Vestrae

Humillimus famulus
N. Parochus N.

vel: N. N. Confessarius.

N. B. In fine epistolae indicatur, lingua regionis propria, domicilium scribentis. Litterae vero mittendae inscribuntur italice: All'Eminentissimo Cardinal Penitenziere Maggiore - Palazzo della Cancelleria - Roma.

Ad petendam dispensationem in impedimento occulto affinitatis ex copula illicita, et criminis, etiam uno vel utroque machinante. (Ex Noldin *loc. cit., pag 742*). 4188

Illme ac Rme Dne,

Titius et Caia (*nomina ficta*) matrimonium inter se inire cupiunt; sed obstat: 1° impedimentum plane occultum, neque probabiliter divulgandum, affinitatis primi gradus lineae rectae ortum ex copula illicita olim habita inter Titium et matrem Caiae; facta vero diligenti inquisitione certo constat, nullum esse periculum, quod Titius sit pater Caiae (*vel* certo constat copulam illicitam praecessisse nativitati Caiae); 2° impedimentum etiam occultum criminis ortum ex adulterio olim admisso inter oratores, vivente scilicet priore coniuge Titii, et ex machinatione Titii in mortem uxoris, effectu secuto.

Quare Illmae Dominationi Vestrae humillime supplicant, ut quam citissime Sedis Apostolicae dispensationem super his impedimentis procuret (*vel, ob urgentissimas rationes moram nullatenus patientes:* ut Ipsa dispensationem concedere dignetur).

Rationes sunt...

N. B. *a*) Si ob concurrentiam cum impedimento publico (et tunc deberet in petitione ad Poenitentiariam directe manifestari etiam impedimentum publicum, a quo habita est, vel saltem petita dispensatio), vel ex alia quacumque causa esset periculum frangendi sigillum sacra-

mentale, trasmitti deberet haec supplicatio ad Card. Poenitentiarium maiorem.

b) Praeterea in hoc casu modificandae essent quaedam expressiones, et dicendum: Eminentissime Princeps, Eminentiam Vestram. In fine vero libelli convenienter adderetur: sacram purpuram vestram humillime deosculor, - Eminentiae Vestrae - submissus famulus - Iulius P. confessarius in urbe L.

4189 **Exemplar supplicis libelli mittendi ad S. Poenitentiariam pro dispensationibus matrimonialibus exposcendis, propositum ab ipsa S. Poenitentiaria.** (Acta S. Sedis August. 1893.)

Beatissime Pater,

N. N. annos natus .....
et N. N. annos nata .....
Dioecesis N..... ad pedes Sanctitatis Vestrae provoluti humiliter postulant dispensationem super impedimento ....., ut legitimum matrimonium inter se contrahere possint.

Causae sunt:
Aetas oratricis
Defectus dotis
Angustia loci
Cura prolis e superiore matrimonio suscepta etc.
(*Scilicet vera causa exponenda est vel una vel multiplex*).

Oratores pauperes sunt.

Testamur vera esse exposita, et oratores pro gratia commendamus.

Ad petendam dispensationem ab aliis impedimentis dirimentibus. (Ex Gasparri *l. c., form. 6.*) 4190

Illme et R.me Dne,

Ioannes N. annos natus 32 et Marianna M. annos nata 28, parochiani mei, matrimonium inire desiderant. Obstat vero impedimentum: 1° consanguinitatis tertii et quarti gradus ina equalis lineae transversae; 2° affinitatis tertii gradus aequalis lineae trasversae; 3° publicae honestatis ex sponsalibus cum sorore Luciae initis et mutuo consensu solutis.

Quare humiliter supplicant Excellentiae Vestrae, ut super his impedimentis dispensationem ipsis, vi Apostolici indulti, concedere dignetur vel a S. Sede procurare.

Causae sunt.....

Testor Oratorem possidere circa 5000 lib. in re, 10000 in spe; Oratricem 2000 in re, 6000 in spe (*vel:* oratores pauperes esse, ita ut solo manuum labore victum sibi comparare cogantur).

Pro taxa et expensis Oratores apud me deposuerunt lib.....

Die etc.

N. Parochus N.

Hic subnectantur schemata consanguinitatis et affinitatis.

Ad petendas litteras « Perinde valere ». (Ex eodem Gasparri *loc. cit. form. 7.*) 4191

Illme et Rme Dne,

Ioannes N. et Marianna M. in eo sunt ut matrimonium ineant, obtenta dis-

pensatione super impedimento consanguinitatis secundi gradus aequalis lineae collateralis. At bona fide in instantia reticitum fuit, hunc consanguinitatis gradum esse duplicem ut constat ex subiecto schemate.

Quare humiliter supplicant Excellentiae Vestrae, ut revalidationem obtentae dispensationis concedere, vel procurare a Sede Apostolica dignetur, perinde ac si veritas in instantia expressa fuisset.

Die etc

N. Parochus N.

Subnectitur schema consanguinitatis.

4192 **Ad petendam dispensationem impedimenti a Poenitentiaria post matrimonium nulliter iam contractum.** (Ex Gury-Ballerini *II*, *698*.)

Eme et Rme Dne,

Titius conscius (*vel* inscius) impedimenti contraxit in facie Ecclesiae matrimonium cum muliere, cuius matrem (*vel* filiam, *vel* sororem) prius carnaliter cognovit; quare, quum absque scandalo nequeant separari, et impedimentum sit occultum, humillime supplicant Eminentiae Vestrae, ut eis dispensationem benigne indulgeat ad valide contrahendum. — Dignetur Eminentia Vestra rescriptum ad me infrascriptum dirigere.

N. N. Confessarius.

Ad petendam revalidationem matrimonii bona fide nulliter contracti. 4193
(Ex eodem Gasparri *loc. citato form. 8.*)

Illme et Rme Dne,

Ioannes N. et Marianna M., parochiani mei, praemissis publicationibus, quin ullum detectum fuerit impedimentum, matrimonium die 21 iunii 1899 in facie Ecclesiae contraxerunt ac deinde consummarunt, prole inde suscepta.

Obstat vero impedimentum consanguinitatis in quarto aequali gradu, ut videre est in schemate subiecto. Quod quum nunc solummodo partibus et publice innotuerit, matrimonium huiusmodi convalidare cupientes, humillime supplicant Excellentiae Vestrae, ut dispensationem ab hoc impedimento, ipsis concedere, vel a S. Sede procurare, dignetur, ita ut valeant denuo in facie Ecclesiae matrimonium contrahere.

Die etc.

N. Parochus N.

Subnectitur schema consanguinitatis.

Ad petendam sanationem in radice. 4194
(Ex eodem Gasparri *loc. citato form. 9*).

Illme et Rme Domine,

Ioannes N. et Marianna M., parochiani mei, praemissis publicationibus, quin ullum detectum fuerit impedimentum, matrimonium die 21 iunii 1899 in facie Ecclesiae contraxerunt, ac deinde consummarunt, prole etiam suscepta.

Obstat vero impedimentum consanguinitatis in quarto aequali, ut constat ex schemate his litteris annexo; quod impedimentum modo tantum partibus innotuit (et verisimile admodum est publicum evasurum).

Quum vero Ioannes N. sectae massonicae postea inscriptus, nullo modo ad renovandum consensum coram Parocho et testibus induci possit, licet de consensus perseverantia dubitari nequeat, Marianna M. humillime supplicat Excellentiae Vestrae, ut sanationem in radice praedicti matrimonii a S. Sede impetrare dignetur.

Die etc.

N. Parochus N.

Hic subnectitur schema.

4195 **Pro exsequendis dispensationibus S. Poenitentiariae.** (Ex B. P. *Vol. IV in fine*).

Praemissa, si opus est, absolutione a censuris etc.. tum absolutione a peccatis, dici potest: « Auctoritate Apostolica (*vel* per Episcopum accepta) dispenso tecum super impedimentum (*illud nominetur*), quod incurristi, ut matrimonium inire, servata forma legitima, et in eo permanere valeas, et legitimam reddo prolem suscipiendam. In nomine Patris etc. Passio Dni. Nostri Iesu Christi etc. ».

Si de dispensatione voti agatur: « Tibi votum castitatis, quod emisisti, ut valeas matrimonium contrahere, eoque uti, in opera, quae tibi praescripsi, dispensando commuto. In nomine Patris etc. ».

Si matrimonium iam in facie Ecclesiae initum sit, omittuntur verba *servata forma legitima*, et eorum loco dicitur *de novo inire* et post *prolem* additur *susceptam*, si tamen constet prolem exstare.

Verba *Passio D. N. I. Ch.* omittuntur, si data non sit absolutio a peccatis. Si dispensatio in radice datur, dicitur: « matrimonium a te nulliter contractum in radice sano et consolido, prolemque susceptam et suscipiendam legitimam fore nuntio et declaro ».

Ceterum nulla est formula ab Ecclesia praescripta, et dummodo sensus dispensationis exprimatur, satis est.

Annotatio marginalis matrimonii peracti in libro baptismorum facienda. 4196

Haec annotatio, quae ex praescripto decreti « *Ne temere* » a parochis facienda est, peragi potest una ex sequentibus formulis.

In dioecesis N. paroecia N. die ..... Titius, filius ..... baptizatus (si cognoscantur, indicentur dies, locus et dioecesis):

cum Bertha, filia ..... baptizata (tali die, loco) matrimonium legitime fecit.

In libro matrimoniorum folio (*vel* n.).

Ipsa annotatio hoc quoque modo fieri potest:

Matrimonio iunct (us vel-a) die... loco ... cum N. talis loci.

Cfr. librum matrimoniorum fol. (*vel* n.).

FORMULAE VARIAE

4197 **Deputationis Vicarii generalis.** (Ex Monacelli *Formul. leg. pract. fori eccl., tit. I, form. 1*).

N. Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopus N.

Dilecto Nobis in Christo N. N. salutem in Domino.

Quum onus Episcopalis ministerii tanti sit momenti, ut etiam ipsis angelicis humeris formidandum videatur, operae pretium duximus in administratione Episcopatus N., quem SSmus Dnus Noster Papa nostrae imbecillitati superimposuit, Vicarium idoneum advocare, qui partem sollicitudinis nostrae in se assumendo, pondus, quo ultra vires premimur, alleviet. Hinc aciem nostrae mentis in personam tuam dirigentes, et de fidelitate, probitate, prudentia, scientia et experientia, aliisque, quibus polles, virtutibus, plene confisi, Te nostrum Vicarium Generalem et Officialem, ad nostrum beneplacitum in dicto nostro Episcopatu N. in spiritualibus et temporalibus, tenore praesentium facimus, constituimus et deputamus, dantes et concedentes tibi potestatem et mandatum speciale Ecclesias, Altaria et Oratoria aedificata et aedificanda et divino cultui deputata benedicendi; eaque polluta (non tamen si consecrata fuerint) reconciliandi; a casibus quibuscumque nobis reservatis absolvendi, et aliis confessariis, ut ab iisdem absolvere possint, facultatem delegandi; litteras commendatitias et testimoniales concedendi; dimissorias ad quoscumque ordines dandi, et super interstitiis dispensandi, Nobis a dioecesi absentibus; causas matrimoniales cognoscendi et decidendi; beneficia erigendi, et resignationes illorum etiam ex causa permutationis recipiendi, et ad ea praesentatos instituendi; coadiutores rectoribus parochiarum imperitis et infirmis dandi; causas omnes ad forum nostrum tam de iure quam ex consuetudine spectantes et pertinentes cognoscendi et decidendi; edicta nostra exsequendi; censuras fulminandi, et ab ordine, officiis, administratione et beneficiis, prout iuris erit, suspendendi, privandi, destituendi et deponendi; inquisitos, excommunicatos a canone, suspensos et interdictos a iure in casibus nobis permissis absolvendi; causas criminales cognoscendi et decidendi; pias voluntates exsequendi; iurisdictionem in regulares et exemptos iuxta formam Sacr. Conc. Tridentini, Constitutionum Apostolicarum et decreta SS. Congregationum exercendi; confessarios tum seculares tum regulares (non tamen monialium) examinandi et ad tempus approbandi, et facultatem eis concessam ex causa revocandi; vo-

luntatem puellarum habitum religionis suscipere sive profiteri volentium (nobis impeditis aut absentibus) explorandi; licentias pro ingressu in clausuram monialium pro rebus tantum necessariis officialibus et artificibus concedendi; sacram suppellectilem aliaque indumenta ecclesiastica, in quibus sacra unctio non adhibetur (quantum ad nos spectat) benedicendi.

Volumus autem, quod in Vicarium et Officialem nostrum Generalem omnes nobis in Episcopatu et iurisdictione subiecti Te recognoscant, recipiant et admittant, atque, ut par est, tibi obediant; si quis vero inobediens fuerit, condigna poena feriatur.

In quorum fidem etc.

Datum etc.

N. Episc. N.

Nota, necessarium non esse, ut Episcopus eas omnes facultates Vicario electo concedat, quae in superiori formula enumerantur; sed poterit Episcopus vel alias adiungere, vel quasdam demere. Poterit etiam Episcopus quaedam tantum maioris momenti exprimere, ut causas criminales cognoscere, beneficia conferre, unire aut dismembrare etc. et dein addere « et alia omnia etiam speciale mandatum requirentia »; tandem ea specialia exprimere, quae a iurisdictione Vicarii Episcopus vult esse sublata, ex. gr. « non vero excommunicationem ferre, confessarios monialium examinare et approbare, beneficia erigere etc. ».

Deputationis Vicarii capitularis. (Ex Monacelli *l. c., tit. 1, form. 2*). 4198

Nos Archidiaconus, Canonicus et Capitulum cathedralis Ecclesiae N., Sede vacante per mortem bon. mem. N. Episcopi.

Admodum Rev. D. N. N. I. U. D. salutem in Domino sempiternam.

Quum ex Sacrorum Canonum dispositione cathedralium Ecclesiarum Capitula in locum deficientium Episcoporum (praesertim si ex humanis eripi contigerit) subrogentur, eisque in spiritualibus et temporalibus succedant, et eorum munus sit viduitati Ecclesiae ita consulere, ut ministrorum solertia atque diligentia incommoda minime sentiri permittant; ne igitur supradicta Ecclesia culpa nostra aliquid detrimenti patiatur, Nos canonicis sanctionibus et sacrosancti Concilii Tridentini decretis, ut par est, obtemperando, vocatis omnibus et singulis Canonicis, intra tempus octo dierum a praefato Concilio statutum, ad Vicarium, qui vices nostras sustinere debet, deputandum, congregatisque his, qui debuerunt, potuerunt, voluerunt interesse, habitis capitulariter secretis suffragiis, sine votis omnium, sed maioris partis interessentium, et ut praemittitur congregatorum, Te Rev. Dominum N. N. Iuris utriusque (*vel* Iuris canonici) Doctorem supradictum, de cuius probitate, scientia et sollicitudine plurimum in Domino confidimus, generalem in spiritualibus et tempora-

libus Vicarium et Officialem nostrum in praedicta Ecclesia cathedrali, civitate et dioecesi tenore praesentium deputamus, facimus, creamus et constituimus pro tempore Sedis vacantis, cum omnibus et singulis facultatibus, privilegiis, honoribus, oneribus, emolumentis, praeeminentiis et praerogativis ad huiusmodi munus exercendum debitis, necessariis et opportunis.

Dantes tibi plenam et liberam potestatem omnia et singula exercendi, quae Capitulo, Sede vacante, in utroque foro a iure permittuntur, et proinde causas omnes tam civiles quam criminales et mixtas, etiam haeresis, et matrimoniales audiendi, cognoscendi, terminandi ac decidendi, cum facultate excommunicationem aliasque ecclesiasticas censuras et poenas, etiam pro Ecclesiarum immunitate et libertate tuenda, ferendi et infligendi; resignationes beneficiorum cum causa recipiendi; praesentatos ad beneficia iurispatronatus instituendi, et nova cum reservatione dicti iuris dotandi et erigendi; concursus ad parochias vacantes indicendi et magis dignum ex approbatis praeeligendi; ac dimissorias ad ordines post annum et arctatis infra annum ad formam Concilii Tridentini concedendi, et super interstitiis dispensandi; nec non ea omnia faciendi, mandandi et exsequendi, quae Nos facere, mandare vel exsequi possumus, etiamsi requirerent speciale mandatum.

Praecipimus itaque universo Clero huius Civitatis et Dioecesis, aliisque huius Ecclesiae iurisdictioni subiectis, quatenus Te in Vicarium et Officialem nostrum generalem, ut praemittitur, recipiant, Tibique tamquam tali in omnibus pareant et obediant. Dantes tibi voces et vices nostras, contradictores et rebelles poenis et censuris ecclesiasticis compescendi.

In quorum fidem praesentes scribi iussimus per infrascriptum Nostrae Curiae Notarium et manu propria subscripsimus, sigilloque Capituli iussimus muniri.

Collationis Ecclesiae parochialis per concursum. (Ex Monacelli *loc. cit. tit. 2, form. II.*). 4199

N. Episcopus N.

Dilecto etc.

Inter cetera, quae pro pastoralis officii debito praestare cupimus, illud praecipue cordi est, ut parochialibus Ecclesiis, quibus de rectoribus providendum est, tales praeficiamus, qui ministerio curae animarum, quod omnium gravissimum est, laudabiliter satisfaciant. Vacante igitur nuper de mense N. proxime praeterito parochiali Ecclesia sub invocatione S. N. oppidi N. huius nostrae Dioecesis per obitum N. illius, dum viveret, ultimi possessoris, fuerunt per Curiam nostram, mediante publico edicto iuxta formam et praescriptum Sacrosancti Concilii Tridentini et Const. S. Pii V et Ben. XIV, vocati omnes de sic vacante Ecclesia provideri cupientes, quatenus intra terminum decem

dierum comparerent in eadem Curia, ut ipsorum nomina describerentur et annotarentur, et quum in eodem termino plures comparuissent, tandem iisdem vocatis legitime sub die... coram Nobis, rigoroso praevio examine per tres Examinatores synodales, facta fuit experientia de scientia et sufficientia singulorum, ac demum servatis de iure servandis fuisti per dictos tres Examinatores repertus, habitus et existimatus idoneus vita, moribus, aetate et scentia, et aliis a iure requisitis praeditus, et ut talis ad dictam parochialem Ecclesiam, eiusque curam per Te ipsum regendam ab eisdem Nobis renunciatus fuisti, et successive a Nobis magis idoneus reputatus et iudicatus. Nos igitur eidem Ecclesiae ac animabus illi subditis de rectore providere volentes, Tibi, quem prae ceteris digniorem delegimus, eamdem parochialem cum illi adnexis ac omnibus iuribus et pertinentiis suis universis, conferimus, assignamus, de illaque Te coram nobis flexis genibus constitutum et acceptantem per bireti capiti tuo impositionem investimus.

Quocirca omnibus Notariis publicis et personis ecclesiasticis Civitatis et Dioecesis nostrae per praesentes mandamus et committimus, ut quum ex Te fuerint requisiti vel eorum aliquis requisitus (emissa per Te prius coram Vicario nostro generali professione fidei) ad ipsam parochialem Ecclesiam dicti loci N. accedant, Teque vel Procuratorem tuum in corporalem, realem et actualem possessionem praedictae parochialis Ecclesiae, ac omnium illi annexorum et pertinentium, inducant auctoritate nostra, et inductum defendant, amoto exinde quolibet illicito detentore, quem Nos his amovemus et denunciamus amotum, ac de fructibus, reditibus, proventibus et obventionibus universis, Tibi faciant debito tempore responderi.

In quorum etc.

Datum etc.

N. Episcopus N.
N. Cancellarius.

Litterarum dimissorialium pro ordinibus minoribus. (Ex Monacelli *loc. cit.*, *tit. 4*, *form. 2.*). 4200

N. Episcopus etc.

Dilectō etc.

Ut tu a nostra dioecesi studiorum causa absens, qui legitimis es procreatus natalibus, morum probitate ornatus, aetate legitima ac in clericali tonsura constitutus, nulloque, quod sciamus, canonico impedimento, quominus ad ordines promoveri possis, reperiris detentus, ab Illustrissimo et Reverendissimo Domino N. in propria, vel aliena dioecesi de Ordinarii loci licentia, ordinationes habente ad Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus et Acolytatus minores ordines promoveri possis et valeas, dummodo quoad scientiam idoneus reperiaris, super quo conscientiam Ordinantis oneramus, et intra sex menses praesentibus utaris et non alias, tua absentia

non obstante, licentiam et facultatem utrique concedimus.

In quorum etc.

Datum etc.

N. Episcopus N.

N. Cancellarius Episcopalis.

4201 **Litterarum dimissorialium pro omnibus ordinibus sacris pro commorante in Urbe vel alibi.** (Ex Monac. *loc. cit., tit. 4, in form. 4.*).

N. Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopus N.

Tibi dilecto Nobis in Christo N. legitimis natalibus procreato, in Acolytatus ordine et aetate legitima vigintiquatuor annorum completorum nato, in Ecclesia parochiali N. ex praescripto Sacrosancti Concilii Tridentini proclamato, nullaque censura ecclesiastica aut alio canonico impedimento innodato (quod sciamus), aliisque a iure requisitis praedito, ut ab Eminentissimo et Reverendissimo Cardinali N. Urbis Vicario, sive de Ipsius ab altern episcopo in eadem Urbe vel Dioecesi pontificalia exercente, statutis a iure temporibus, ad sacros Subdiaconatus, Diaconatus ac Presbyteratus ordines debitis servatis interstitiis, aut illis non servatis, cum dispensatione tamen Apostolica, ad titulum tui sufficientis patrimonii, de quo legitime in nostra Curia constare fecisti (ad quem titulum Te admittimus pro utilitate Ecclesiae) promoveri possis et valeas, licentiam et facultatem in Domino impertimur et concedimus, dummodo tamen quoad scientiam idoneus et habilis reperiaris, quum Nos propter tuam absentiam a nostra Dioecesi de ea cognoscere nequiveri. mus. Volentes etiam, ut tu postquam fueris ordinatus, praecipue in ordine Presbyteratus, exhibere tenearis in nostra Cancellaria testimoniales litteras tuae ordinationis infra mensem sub poena suspensionis ipso facto incurrenda, Nobis reservata.

In quorum etc.

Datum etc.

N. Episcopus N.

N. Cancellarius Episcopalis

Litterarum testimonialium Parochi de requisitis pro prima tonsura. 4202
(Ex Monacelli *loc. cit., tit. 3,n. 2*).

Ego infrascriptus Parochus Ecclesiae N. praesentibus litteris iuratus testor, N., qui ad primam tonsuram clericalem promoveri cupit, in anno aetatis... constitutum, filium legitimum et naturalem N. N. coniugum ex mea parochia fuisse baptizatum sub die... ut constat ex libro baptizatorum dictae meae parochiae, in quo sic habetur (*hic ponantur ipsamet verba libri*).

Item testor, fuisse confirmatum ab N. nostro Episcopo (*sive* ab Episcopo N. de licentia), prout liquet ex libro confirmatorum eiusdem parochiae, in quo sic habetur (*et hic ponantur verba libri*).

Item morum et vitae integritate com-

mendari, diebusque dominicis doctrinam christianam frequentasse.

In quorum etc.

Datum etc.

N. Parochus Ecclesiae N.

4203 **Litterarum testimonialium Parochi pro minoribus ordinibus.** (Ex Monacelli *l. c., tit. 3, form. 7.*).

Ego infrascriptus Parochus Ecclesiae N. praesentibus litteris testor, N. Ecclesiae meae parochiali ascriptum in collatione primae tonsurae et qui ad Ostiariatus, Exorcistatus, Lectoratus, Acolytatus minores ordines promoveri cupit, probis moribus praeditum esse, habitum et tonsuram clericalem gestare solitum esse decentem, semel saltem in mense sacram Communionem sumpsisse, functionesque clericales exercuisse, ac denique doctrinam christianam frequentasse, et assiduo labore huic exercitio incubuisse.

In quorum etc.

Datum etc.

N. Parochus Ecclesiae N.

4204 **Litterarum testimonialium pro ordinando extra dioecesim.** Ex Monacelli *loc. cit., tit. 4, formul. 9*).

N. Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopus N.

Per praesentes cunctis indubiam fidem facimus atque testamur, dilectum in Christo N. (qui ratione originis huic Nostrae iurisdictioni noscitur subiectus) pro tempore, quo in loco N., et in quo ex legitimo matrimonio natus, educatus et commoratus est, suae probitatis specimen dedisse, bonaque fama, vita ac moribus praeditum fuisse, et ex hac nostra Dioecesi in aetate annorum... nullo delicto, quod infamiam irrogat, patrato, nullaque ecclesiastica censura aut alio canonico impedimento (quod sciamus) innodatum discessisse, quominus ad minores seu maiores sacros ordines ab Illustrissimo et Reverendissimo Domino Episcopo N. ad formam praescriptam Constitutionis s. m. Innocentii XII. «Speculatores» promoveri possit.

In quorum fidem has testimoniales litteras manu nostra subscriptas expediri iussimus.

Datum etc.

N. Episcopus N.

N. Cancellarius Episcopalis.

Litterarum excardinationis a dioecesi. 4205

N. Episcopus N.

Dilecto in Christo N.

Petiisti a Nobis, ut tibi concederemus litteras excardinationis a Nostra Dioecesi, cui ratione originis (seu domicilii) ascriptus hucusque fuisti, et in qua ad clericatus honorem promotus es, quo integrum tibi sit ad Ecclesiam et Dioecesim N. transire, eique ascribi. Quum igitur Nobis compertum sit, Illustrissimum et Reverendissi-

mum Dominum N. Episcopum Ecclesiae N. paratum esse ad te ascribendum Ecclesiae suae; et tu nullo alio canonico vinculo ioecesi Nostrae ligatus sis, nec ullum in ea habeas beneficium (*vel* et beneficium, quod in ea habebas, canonica ex causa dimiseris et resignaveris); iustae praeterea habeantur causae huius excardinationis concedendae, nec tu ad eam petendam levitate aut ambitione movearis; gratiam, quam expostulasti, tibi duximus concedendam. Quare Nostris hisce litteris te N. N. dioecesis nostrae clericum et in minoribus (*vel* maioribus, *et exprimantur ordines, quibus est insignitus*) ordinibus constitutum e Dioecesi Nostra absolute et in perpetuum excardinamus et excardinatum edicimus et declaramus in eum tantum finem, ut Dioecesi N. ascribi valeas, et sub conditione, ut hae Litterae suum plenum sortiantur effectum tunc solummodo, quum Dioecesi N. rite fueris ascriptus.

In quorum fidem etc.

Datum etc.

N. Episcopus N.

N. Cancellarius Episcopalis.

4206 **Litterarum incardinationis in dioecesi.**

N. Episcopus N.

Dilecto in Christo N.

Quum Nobis constiterit, te N. N. in minoribus (*vel* maioribus, *et exprimantur ordines, quibus insignitus est*) ordinibus constitutum, qui hucusque Dioecesi N. fueras ascriptus, ab illius Illustrissimo ac Reverendissimo Episcopo Domino N. N. iustis de causis excardinationis litteras obtinuisse; nec non ex praedicti Domini Episcopi testimonio certum Nobis sit, te legitimis esse natalibus, integris moribus et sufficienti praeditum scientia; quum praeterea tu praestito iuramento declaraveris velle te in hac Nostra Dioecesi semper manere et huic Nostrae Ecclesiae iugiter deservire; Nos moti studio, quo exardescimus, bonum huius Ecclesiae Nostrae curae commissae procurandi. Te, quem utilem (*vel* necessarium) Ecclesiae huic Nostrae pro praesentibus eius adiunctis existimamus, absolute et in perpetuum Ecclesiae et Dioecesi Nostrae ascribimus et ascriptum renuntiamus et declaramus, sperantes Te alacri animo in futurum bono animarum in hac nostra Dioecesi allaboraturum et omnibus fidelibus Nostrae curae commissis bonum Christi odorem futurum.

In quorum fidem etc.

Datum etc.

N. Episcopus N.

N. Cancellarius Episcopalis.

Formula, qua Confessarius petit facultatem absolvendi sacerdotem, qui absolvit complicem in peccato turpi. 4207

Eminentissime Princeps,

Titius sacerdos complicem suum (*vel* duos, tres, etc. complices suos) in

peccato turpi semel (*si plures una quemque vice absolvit, additur* unumquemque) absolvit (*vel* absolvere simulavit; *aut etiam* complicem suum in peccato turpi, qui peccatum complicitatis, a quo nondum fuerat absolutus, non est confessus, sed ideo hoc fecit, quia ab eodem Titio ad id inductus est). Nunc poenitentia tactus absolutionem vehementer exoptat. Quare enixe rogat Eminentiam Vestram, ut velit facultates tradere opportunas sacerdoti confessario ab ipso eligendo, qui eum possit absolvere, subiturus humillime eas poenas, quas Eminentia Vestra imponere ipsi voluerit (*si scribit ipse confessarius haec ita immutari possunt:* Quare enixe rogo Eminentiam Vestram, ut velit mihi infrascripto confessario facultates tradere opportunas, ut absolvere possim poenitentem istum sacerdotem, qui subiturus est humillime poenas, quas Eminentia Vestra eidem imponere voluerit).

4208 **Formula, qua confessarius, qui in casu urgentiore absolvit sacerdotem, qui absolverat complicem in peccato turpi, idipsum renunciat S. Poenitentiariae.**

Eminentissime Princeps,

Titius sacerdos complicem suum (*vel* duos, tres etc. complices suos) in peccato turpi semel (*si plures una quemque vice absolvit additur:* unumquemque) absolvit (*vel* absolvere simulavit; *aut etiam*: complicem suum in peccato turpi, qui peccatum complicitatis, a quo nondum fuerat absolutus, ipso Titio ad hoc eum inducente, non est confessus). Nunc poenitentia ductus ad me venit petens absolutionem admissi criminis, quem ego versantem in urgenti casu absolvi ex facultate confessariis facta a S. Congreg. s. Officii die 23 iunii anni 1886. Hoc Eminentiae Vestrae renuntio, simul significans, Titium vere poenitentem exspectare ab Eminentia Vestra prompto et lubenti animo poenas sui criminis condignas, quas humillime adimplere paratus est.

N. Confessarius in urbe N.

N. B. *Si scribit confessarius, addat suum domicilium. Si vero ipse sacerdos absolutus scribit, in supplicatione immutanda sunt verba primae ac tertiae periodi ita, ut primam personam adsignificent. Verba secundae periodi immutari ita poterunt:* Postea poenitentia ductus confessarium adivi, qui me versantem in urgenti casu absolvit ex facultate etc.

Formula seu instructio a S. C. U. I. proposita, secundum quam recipi debet denuntiatio sollicitationis ab iis, qui ad denunciationem aliquam absque interventu notarii recipiendam deleguntur. 4209

Delegatus incipiet actum a notando, die, mense, anno.

Die ... mensis ... anni.

Sponte personaliter comparuit coram me infrascripto sistente in (*notabit*

locum et dioecesim, ubi reperitur ad actum recipiendum), ad hunc actum tantum ab Illmo et Rmo N. specialiter delegato, prout ex eiusdem Ordinarii litteris mihi directis et datis sub die (*exprimet quo die ipsi scriptae fuerit litterae*) praesenti positione allegandis, N. N. (*scribet nomen, cognomen, patrem, conditionem et habitationem personae denunciantis, et si haec religiosa fuerit, exprimat etiam nomen, quo ea vocabatur in saeculo. Deinde prosequetur*), cui, delato iuramento veritatis dicendae, quod praestitit tactis SS. Dei Evangeliis (*quae manu tangere faciet*), exposuit prout infra, videlicet;

Hic persona denuncians vernaculo sermone declarare debet, se scire obtentam esse ab Ordinario loci facultatem recipiendi absque interventu notarii, quod ad suam conscientiam exonerandam expositura est, propterea quia iustis de causis eidem Rmo. Antistiti se sistere nequit; deinde narrare continuo debet quae ad sollicitationes ei factas attinent, seu verba fuerint, seu scripta, seu actus, accurate describendo locum, tempus, occasionem, vices et singula adiuncta, nec non utrum in actu confessionis an prius vel post sacramentalem absolutionem ea evenerint. Nominare debet confessionalem sedem et ipsum confessarium sollicitantem et quatenus huius nomen et cognomen aut ignoret aut oblita fuerit, describet accurate illius personam omnes distincte characteres notando, ita ut illa recognosci possit. Animadvertat delegatus, non esse interrogandam personam denunciantem, utrum consensum ad actum turpem quocumque modo praestiterit vel recusaverit, quum ipsa ad suos defectus manifestandos non teneatur. Hisce exscriptis, prout narrantur, delegatus quae sequuntur nec aliud praeterea quidpiam requiret.

Interr. An sciat, vel dici audierit, dictum N. (*nominando personam*) confessarium sollicitasse alios poenitentes ad turpia; et quatenus etc.

Resp. (*Notabit responsionem, et si haec affirmativa fuerit, nomen et cognomen personarum sollicitatarum exquiret et causam scientiae.*).

Interr. De fama supradicti confessarii N. N tam apud se, quam apud alios? et quatenus etc.

Resp. (*Responsionem exscribat*).

Interr. An odio vel amore praefata deposuerit, et super inimicitia alisque generalibus etc., et quatenus etc.

Resp. Recte (*si ad propriam conscientiam exonerandam renunciasse se dicet*). *Si a sollicitationibus uno mense praeterlapsum fuerit etiam interrogauda:*

Interr. Cur tamdiu distulerit praefata denunciare proprio Ordinario, et conscientiam suam exonerare?

Resp. (*Notabit responsionem*).

Actus claudatur hac ratione:

Quibus habitis et acceptatis etc., dimissus (*vel* dimissa) fuit iuratus (*vel* iurata) de silentio servando ad novum tactum SS. Dei Evangeliorum (*super Evangelium iterum iurabit*), et in confirmationem praemissorum se subscripsit, (*et si scribere nesciat* - et quum scribere nesciret,

prout assuevit, fecit signum crucis, - *crucis signum calamo faciendum ab ea exiget*).

Postquam denuncians se subscripserit, aut crucis signum fecerit, subscribet se delegatus hoc modo:

Acta sunt haec per me N. N. ab Illmo et Rmo Antistite N. N. ut supra specialiter delegatum.

Integrum deinde actum directe ad proprium Ordinarium delegantem transmittet una cum instructione et litteris acceptis, nihil omnino apud se retinendo.

4210 **Formula interrogationis testium in causis sollicitationis inductorum proposita a S. C. S. O. in sua instructione diei 20 iulii 1890.**

Vigore epistolae Sacrae Supremae Congregationis datae sub die... (*vel*: Vigore decreti Illustrissimi et Revmi Domini Archiepiscopi Ordinarii) vocata personaliter comparuit coram Illustrissimo ac Reverendissimo Domino N. N. sistente in Cancellaria (vel sacrario, aut in collocutorio Monialium seu piae domus) in meique etc.

NN. nubilis (*vel* uxorata) degens in hac civitate NN. in paroecia NN. filia (*vel* uxor) aetatis suae... conditionis civilis (*aut* agricolae, *aut* famulatui addicta), cui delato iuramento veritatis dicendae, quod praestitit tactis SS. Dei Evangeliis, fuit.

Interr. An sciat vel imaginetur causam suae vocationis et praesentis examinis?

Resp...

Interr. A quot annis usa sit accedere ad Sacramentum Poenitentiae?

Resp...

Interr. An semper apud unum eumdemque confessarium sacramentum Poenitentiae receperit, vel apud plures sacerdotes; insuper an in una eademque, vel in pluribus ecclesiis?

Resp...

Interr. An a singulis, quibus confessa est, sacerdotibus exceperit sanctas admonitiones et opportuna praecepta, quae ipsam examinatam aedificarent et a malo arcerent, et quatenus etc.

Resp...

Notandum: Si responsio fuerit affirmativa, idest si dicat, se bene semper fuisse directam; tum interrogatur sequenti modo:

Interr. An sciat vel meminerit aliquando dixisse vel audivisse, quod quidam confessarius non ita sancte et honeste sese gesserit erga poenitentes; quin murmurationes et verba contemptibilia contra ipsum confessarium prolata fuerint; ex. gr. quod ipsa examinata ab uno vel a pluribus poenitentibus, atque ab uno abhinc anno, vel a quatuor aut tribus mensibus similia audierit?

Notandum: Si post hanc interrogationem et animadversionem examinata negare pergat, claudatur actus consueta forma, quae ad calcem huius Instructionis prostat.

At si quidquam circa aliquem

confessarium, iuxta ea, de quibus interrogatur, aperuerit, ulterius interrogabitur, prout sequitur:

Interr. Ut exponat nomen, cognomen, officium, aetatem confessarii, et locum seu sedem confessionis; an sit presbyter saecularis vel regularis, et quatenus etc.

Resp...

Interr. Ut exponat seriatim, sincere et clare ea omnia, quae in sacramentali confessione, vel antea, vel postea, vel occasione confessionis audierit a confessario praedicto minus honesta; vel an ab eodem aliquid cum ipsa inhoneste actum fuerit nutibus, tactibus seu opere, et quatenus etc,

Notandum. Hoc loco index solerter curabit, ut referantur iisdem verbis, quibus confessarius usus fuerit, sermones turpes, seductiones, invitamenta conveniendi in aliquem locum ad malum finem, aliaque omnia, quae crimen sollicitationis constituunt, adhibita vernacula lingua, in qua responsiones sedulo et iuxta veritatem exarabuntur, animum addat examinatae, si animadvertat, eam nimio timore aut verecundia a veritate patefacienda praepediri, eidem suadens omnia inviolabili secreto premenda esse. Denique exquiret tempus, a quo sollicitationes inceperint, quamdiu perduraverint, quoties repetitae, quibus verbis et actibus, malum finem redolentibus, expressae fuerint. Cavebit diligenter ab exquirendo consensu ipsius examinatae in sollicitationem et a quacumque interrogatione, quae desiderium prodat cognoscendi eiusdem peccata.

Interr. An sciat vel dici audierit, praedictum confessarium alias poenitentes sollicitasse ad turpia; et quatenus eas nominet (atque hic iubebit nomen, cognomen et saltem indicia clariora, quibus aliae personae sollicitatae detegi possint, manifestare).

Notandum. Si forte inducantur aliae personae sollicitatae, erit ipsius iudicis eas prudenter advocare et singillatim examinare iuxta formam superius expositam.

Resp...

Interr. De fama praedicti confessarii tam apud se quam apud alios?

Resp...

Interr. An praedicta deposuerit ex iustitiae et veritatis amore, vel potius ex aliquo inimicitiae vel odii affectu, et quatenus etc.

Resp...

Quibus habitis et acceptatis, dimissa fuit iurata de silentio servando, iterum tactis SS. Dei Evangeliis, eique perfecto examine in confirmationem praemissorum se subscripsit (*si fuerit illiterata dicatur;* et cum scribere nesciret fecit signum Cru✠cis). (*Subscriptio personae examinatae*).

Acta sunt haec per me N. N. Cancellarium vel Notarium ad hunc actum assumptum.

4211 **Interrogationis formula in causis sollicitationis iuxta quam ex decreto S. O. 6 aug. 1897. interrogandi sunt testes in iis adhibiti.**

Die... mensis... anni...

Vocatus personaliter comparuit coram me infrascripto Episcopo... (*notetur nomen dioecesis; delegatas autem dicat:* coram me infrascripto a R. P. D. Episcopo... ad hunc actum tantum specialiter delegato) sistente in... N... N... (*nomen, cognomen et qualitates testis conventi*), qui, delato ei iuramento veritatis dicendae, quod praestitit tactis SS. Evangeliis, fuit per me.

1. Interrogatus: Utrum noverit sacerdotem N... N...? (*nomen, cognomen et qualitates denunciati*).

Respondit... (*exscribatur lingua, qua utitur testis, eius responsio*).

2. Interrogatus: Quaenam sit huiusce sacerdotis vitae ratio, quinam mores, quaenam penes populum existimatio?

Respondit...

3. Interrogatus: Utrum noverit viros, vel, ut plurimum. mulieres NN... NN... (*nomen, cognomen et qualitates cuiusque denunciantis*).

Respondit:...

4. Interrogatus: Quaenam sit uniuscuiusque eorum vitae ratio, quinam mores, quaenam penes populum existimatio?

Respondit:...

5. Interrogatus: Utrum eos censeat fide dignos, vel contra mentiendi, calumniandi in iudicio, et etiam peierandi capaces eos existimet?

Respondit:...

6. Interrogatus: Utrum sciat, num forte inter eos et praefatum sacerdotem ulla umquam exstiterit odii vel inimicitiarum causa?

Respondit:...

Tunc, delato ei iuramento de secreto S. Officii servando, quod praestitit, ut supra, dimissus fuit, et, antequam discederet in confirmatione praemissorum se subscripsit.

Subscriptio autographa testis vel eius signum ✠ crucis.

Acta sunt haec per me N... N... (*nomen, cognomen et qualitates Episcopi vel eius Delegati, qui testimonium recepit*).

ADDENDA

Nescio qui factum fuerit ut articulus de obulo s. Petri, quem sub obulum s. Petri remittebam ad Petri sancti obulum, postea inadvertenter non fuerit editus.

Illum hic dandum puto ut inadvertentem oblivionem corrigam.

Petri (s.) obulum. — Iam loquentes de decimis (Vid. *Decimae*) annotabamus ex ipso iure naturae descendere ut fideles, necessitate exsistente, necessaria suppeditent ministris ecclesiae, ad eorum honestam sustentationem. Quae obligatio non urget quidem fideles erga omnes clericos indiscriminatim, sed erga eos, a quibus sacramenta recipiunt, seu erga eos, quibus iure divino aut humano ipsorum cura commissa est. Decimae autem ordinarie de parochis et episcopis sunt intellectae. At unusquisque intelligit, quomodo ex adducto principio necessitas etiam exoriatur subveniendi Rom. Pontifici si quando, ut in praesens, necessitate premitur. Multo magis quod interest totius ecclesiae ut Rom. Pontificatus conservetur in eo saltem splendore, qui vel necessarius vel saltem maxime est conveniens ad exercendam missionem sibi a Christo collatam. Inter homines enim haec missio est exercenda. Exinde videt quisque inter praecipuos actus caritatis et amoris in ecclesiam illum numerari, qui consistit in subveniendo Rom. Pontifici in suis necessitatibus. Ad hoc in praesenti fidelium caritas eam institutionem perfecit, cui obuli s. Petri nomen datum est.

Quoad nomen exinde desumptum est quod praestatio illa, quae suis ab antiquis Angliae regibus imposita est, quaeque constabat singulis denariis argenteis a singulis domibus universi regni annuatim solvendis, *Denarius divi Petri* nomen (c. 12 de censibus etc. X. III. 39) habuit; quamvis si spectemus naturam illius praestationis et naturam nostri obuli s. Petri magnum sit discrimen inter utramque. Cfr. etiam c. 8, de privilegis, etc. X. (V. 33).

